# TABVLA CAPITVLI GENERALIS ROMANI

Ordinis Fratrum Minorum S. FRAN-
CISCI de Obseruantia
1600.



FLORENTIAE Apud Ioannem Antonium Caneum. M. DC.
Superiorum permissu.

# In Nomine Domini Amen.

HAEC est Tabula Diffinitionis, huiusce celeberrimæ Congregationis Generalis in hoc Conuentu S. Mariæ de Aracœli: Romæ Anno Domini M. DC. die xx. Maij, sub Illustriss. & Reuerendiss. D. F. Bonauentura Secusio Patriarcha Constantinopolitano, Ordinisq; Minorum Generale Ministro celebratæ: Præsidente Illustriss. & Reuerendiss. D. D. Camillo Burghesio S. R. E. Cardinale, ad hoc munus subeundum a Sanct. D. N. D. Clemente PP. VIII. specialiter deputato.

In primis, (septennio præfati Illustriss. ac Reuerendiss. D. Patriarchæ, Ordinis Minorum Generalis Ministri fœlicissime absoluto) Reuerendiss. Pater. Fr. Franciscus a Sosa Prouinciæ Sancti Iacobi Pater: omnibus ferè suffragiis in Generalem Ministrum totius Ordinis Minorum electus est.

Commissarius verò Generalis Cismõtanæ familiæ, Reuerẽdiss. P. F. Io. Franciscus Macolinus, Prouinciæ Bononiensis Pater, postquam in ea fuerat minister, & Ordinis Diffinitor.

Procurator Ordinis in Romana Curia Adm. R P. F. Ioannes Rada Prouinciæ Sancti Iacobi Pater.

Commissarius vero eiusdem Curiæ Adm. R. P. F. Marcus ab Antiquo Prouinciæ Marchiæ Pater.

## DIFFINITORES VLTRAMONTANAE FAMILIAE.

Adm R. P. F. Andreas Banonus Prouinciæ S. Ludouici Minister.
Adm. R. P. F. Io. Baptista Molles, qui erat Curiæ Rom. Commissarius.
Adm. R. P. F. Ioannes Cepeda Prouinciæ Conceptionis Minister.
Adm R. P. F. Ioannes Ruffus Prouinciæ S. Bonauenturæ Minister.
Adm. R. P. F. Gaspar Cholerus Prouinciæ Argentinæ Minister.
Adm. R. P. F. Balthasar Vincent. Prouin. inferiores Germaniæ Minist.

# DIFFITORES CISMONTANAE FAMILIAE.

Adm. R.P.F. Franciscus Palumbaria Romanæ Prouincię Minister.
Adm. R.P.F. Franciscus à Belgioso prouincię Sancti Didaci Pater & Custos.
Adm. R.P.F. Petrus à Spoleto prouinciæ Sancti Francisci, Ordinis Secretarius.
Adm. R.P.F. Vincentius à Poliżo prouinciæ Siciliæ Minister.
Adm. R.P.F. Antonius Bosnus, prouinciæ Bosnæ Argentinæ Minister
Adm. R.P.F. Paulus à Sulmona prouinciæ S. Bernardini Custos.

## GVARDIANI.

Guardianus Hierusalem R. P. F. Franciscus Manerbas ex prouincia Brixiense.
Guardianus Constantinopolitanus R. P. F. Ioannes à Contorso ex prouincia Principatus.
Guardianus S. Claræ Neapolitanę P. F. Ioannes à Luca ex prouincia Florentiæ continuatur.

## A SANCTISS. D. N. D. CLEMENTE VIII.

*QUatenus licita, ac Sacris Canonibus et Concil. Trident. et Apostolicis decretis non aduersentur confirmata, per suas litteras sub Annulo Piscatoris expeditas de 5. Iunij 1600. quibus decernit, ex tunc, irritũ & inane, quidquid secus super his a quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter cõtigerit attẽtari. Non obstantibus nostri Ordinis etiã iuramento, confirmatione Apostolica, vel quais firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis, eidẽ Ordini, illiusq. Superioribus, Prouinciis, Domibus Collegiis, Monasterijs, Conuentibus, & personis singularibus vtriusque sexus quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus oẽbus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis habendo, hac vice dumtaxat, specialiter & expresse derogat, cæterisq. contrarijs quibuscumque.*

## PRO VTRAQVE FAMILIA.

CVM experientia constet, nihil magis aduersari Cœnobiorum paci, & tranquillitati, quam discretorum ad Prouincialia cõmitia destinandorum: per Fratrum suffragia electio, illos omnino è medio tollimus, in prouinciis quæ ad minus decem habent Conuentus, declarantes electiones omnes in dictis Capitulis faciendas esse, per reliquorum omnium suffragia, qui iuxta generalia Ordinis statuta, vel cuiuscunque prouinciæ, debita authoritate facta, vocem actiuam soliti sunt habere in dictis capitulis, seruata in omnibus Noua Sanctiss. D. N. Clementis Papæ VIII constitutione, annullante Neapolitanam constitutionem, & omnes alias similes: quarum tenore, prouinciarum Patres: perpetui Diffinitores instituebantur. Nihilq. aliud Sanctissimus innouare voluit, circa antiqua Ordinis statuta, prout ipse suam exponens constitutionem de solo Diffinitoriatus officio, viuæ vocis oraculo dignatus est concedere Reuerendiss. P. Generali Ministro,

Reuerēdiss. Pater Generalis Minister de consilio aliquorum peritorū Patrum, certum ac præfixum cōstituat modum, uniformiter ab omnibus, & irrefragabiliter obseruandum; in iudiciis peragendis, circa illa præsertim, quæ sunt in ordine iudiciali, de substātia iuris Pontificii: ne Prouinciarum Prælati, abutentes priuilegio ea omittendi, quæ sunt de apicibus iuris, potius eorum opinioni, quam communi bono satisfacere studeāt. Circa appellationes obseruetur ad vnguem Gregorii XIII. fel. recor. & sacræ regularium Congregationis mandatum.

Ministri Prouinciales. & reliqui omnes superiores, qui negligentes fuerint, in pœnarum executione contra recurrentes ad aliena tribunalia, vel impetrantes fauorem extra religionē: pro officiis in ea obtinendis, iuxta constitutiones eiusdem Gregorii, & nostra statuta: iisdem pœnis subiaceant, quibus plectendi erant ipsi delinquentes.

Pœnæ etiam in nostris generalibus constitutionibus contentæ; contra procurantes, vel habentes pecunias, vel eis vtentes, contra regulæ nostræ puritatem, sine dispensatione aliqua, executioni mandentur. Et ne quis suo arbitrio, sed solius Prælati, etiam iuxta largientis voluntatem, pecuniā ipsam cōsumare, per se, aut per alios possit: statuimus sub proprietatis pœnæ, ne quis fratrum, absq; peculiari Ministri, aut Guardiani facultate, & assensu pecuniā sibi oblatam, etiā pro necessitate præsenti, aut imminenti, & omnibus modificationibus seruatis, iuxta Apostolicas sanctiones consumat. Nec Prelatorum quisquam, alicui subditorum licentiam in vniuersum concedat, sed peculiaris facultas sit semper necessaria, ad quascunque etiam minimas res comparandas. Et declaratur iuxta sancita per Dños Papas Martinū V. & Pium IIII. quod dominium pecuniæ licito modo oblatæ pro fratrum necessitatibus, ad Sedem spectat. Apostolicam.

Strictissime cauetur ne quis fratrum, quascumque amicitias seu priuatas cum monialibus collocutiones, nostræ vel alterius religionis sub quolibet habeat prætextu; sub pœna priuationis vocis actiuæ & passiuæ, & perpetuę inhabilitatis, ad omnia ordinis officia obtinenda.

Cum ex regula nostra habeamus, quod fratres omnes vestimentis vilibus induantur. Apostolicis inhęrentes declarationibus, stricte pręcipimus, quòd panni vilitas, tam in pretio quàm in colore, attēdatur, in quibus asperitas & paupertas maxime reluceat, & vestimentorum vniformitas vbique seruetur, quæ conformitatem indicet animorum. Ita tamen in vilitate resplendeāt sancta paupertas & humilitas, quod non desit prudentia, propter monstruosam repetiationem, & tandem talibus omnes fratres induantur vestimentis, quod neque de curiositate argui, neque de superstitione notari merito possint.

Cum ex inordinato rerum vsu, aliquæ proprietatis occasiones nascantur: præcipimus omnino, quarumcūque rerum proprietatem ab omnibus fratribus esse auferendam, omnemq. superuacaneam supellectilem

pror-

prorsus tollendā. Nec de inceps aliam supellectilē frater aliquis ha beat audeat, nisi quā suus Guardianus ei concesserit, In qua re superiorū conscientiā oneramus, eisq. præcipimus, ne sub aliquo colore vel prætextu, ampliorē q̄ necessitas expostulat, supellectilē alicui cōcedant, sed fratres oēs ad obseruātiam puræ Martinianæ constitutionis reducere conentur.

Si quis ex quatuor electis prouinciarum Diffinitoribus, vita excesserit in demortui locum subrogetur, qui ex prouinciæ Patribus ordine antiquior fuerit, Is videlicet qui prior fuit Minister electus, vel Diffinitor. Et si nullus sit talis: tunc principalioris conuētus Guardianus subrogetur, qui subrogatus si in eo munere, integro biennio extiterit: in sequenti prouinciali Capitulo non poterit elegi Diffinitor. Et idem ordo seruetur si per renunciationem vel aliter, Diffinitoriatus officium vacauerit.

Confirmantur erectiones Prouinciarum S. Gregorii Philippinarum, & Sancti Pauli Hispaniarum.

Declaratur duas esse prouincias distinctas, illam quę duodecim Apostolorum de lima nuncupatur, & illam quę in Toletanis constitutionibus, Prouincia S. Antonii Charcarum appellatur, & cum sine ordinis facultate, fuerint aliquando dictæ prouinciæ coniunctę, nunc de nouo diuiduntur, & separantur.

Declaratur etiam Prouinciam Sanctę Crucis vel Caracarum in Insula, quę dicitur Hispañiola, vel Sancti Dominici, veram esse, & nuncupari debere Prouinciam.

## PRO FAMILIA CISMONTANA.

AD euitandam omnis diuagationis, & discursus occasionem, ordinamus, nullum ex Italicis prouinciis fratrem, posse de familia collocari in aliquo extra suam prouinciam Conuentu, neque sub ratione studii, lectoriæ, prædicationis, neque sub aliquo quocúque respectū. Pro cuius meliori executione, omnib' Patribus Ministris, sub suorum officiorum priuationis pœna, ipso facto incurrenda, præcipimus, vt intra quindecim dierum spatium, à redditu in proprias prouincias, ab eis excludant, atque omnino eiiciant, quoscumque ex alienis prouinciis fratres, ibidem inuenerint non incorporatos, eisq. testimoniales literas concedant, in eisdem præcipientes sub obedientia, & censuris, vt ad vnguem obediant, & obtemperent, quòd si facere renuerint, contra illos, ac contra inobedientes procedant, & Guardianum qui eos in suo Conuentu retinuerit ab officio absoluant.

Vt literarius profectus magis in dies augeatur, & qui ad hoc exercitium assumuntur, dotibus, requisitis sint decorati: ordinamus, iuxta [Pi]i V. fœlicis record. constitutionem, vt nomine prouinciæ illa careat, [q]ua tres ad minus Conuentus, in quibus Gramatica, Logica, physica,

&

& Theologia legantur: cum necessariis magistris non habuerit, Quare studiorum lectores, à Patribus Ministris, & Diffinitoribus sunt eligẽdi. Et ab eisdem examinãdos esse decernimus, omnes illos, qui ad studium sunt destinandi. Reuerẽdissimos etiam Patres Generalem Ministrum, & Commissarium Generalem Diffinitorium supplex exorat, ne ad prędictos Conuentus studiorum, fratres ex alienis prouinciis, studentes destinent, vt mala euitare valeant, quæ ad adhuc experta sunt. Ab hac tamen cõstitutione, excipiuntur omnes vltramarinæ prouinciæ, quæ cõmode studia prædicta formare nequiuerint.

Ordinamus insuper, nullum ex Italicis prouinciis prædicatorem, à sua prouincia exire posse, prædicationis titulo, vel prætextu etiam tempore Aduentus, vel Quadragesimæ. Prædicatorum tamen distributio, ac destinatio locorum in quibus prædicari debeant; ad Patres prouinciarum Ministros pertinet. Et eleemosynæ pro prædicationibus elargitæ; illi Conuentui sunt tribuendę, in quo prædicator de familia manet. Verum si aliquando per Generales Prælatos, alicui concedatur, vt extra prouinciã prædicare valeat (quod rarissime & magna ex causa faciendum est) eleemosyna prædicta prædicatori elargita, supra dicto modo distribuenda est, & non aliter.

Strictissime obseruandum esse monemus; illud quod ex Sacro Trid. Concilio sæpius ordinatum est, scilicet nullum conuentum ex nostris plures habere posse fratres de familia, quam qui commode in eis sustẽtari possunt. Et vt hoc debitę mandetur executioni; omnibus Patribus Guardianis pręcipitur, vt omnium fratrum indigentiis diligenter consulant, & (vitæ humanæ) necessariis solicite prouideant; tam cum sani fuerint, quàm cum infirmari contigerit: nec solum in victu, verum etiam in vestitu. Et ne sub prętextu non obseruantię huius nostræ constitutionis, ad vitium proprietatis, vel ad alia quęuis, aliquis confugere audeat: præcipitur etiam iisdem Guardianis, vt infirmis fratribus omnia illa tribuant, & concedant, quæ à medicis ordinata fuerint, sanis tamen & valentibus fratribus, tempore carnium ministrentur cuilibet in prandio pro sua portione sex vncię, & alię sex similiter in cæna, cum suo iure in vtraque mensa. Aliis autem temporibus quibus prohibitus est esus carnium, dabitur singulis fratrum in prandio pitantia sex vnciarum piscis, & si Guardianus aliquis aliter fecerit, ipso facto sit ab officio absolutus, & similiter absoluatur ab officio Minister, qui pœnam hanc executioni non mandauerit.

Ordinamus etiam, vt in qualibet prouincia, illi designentur Conuentus, pro nouitiorum educatione, qui commodiores videbuntur, & Magistri pro illis educandis, zelosi & prudentes eligantur. Et in eorundem nouitiorum receptione, Apostolica decreta ad vnguem obseruentur, & vltra ea diligenter curari debet, vt tales recipiantur ad Ordinem, quales nostræ constitutiones illos desiderant. Quod si minister,

## SEQVVNTVR SVFFRAGIA.

PRo S.D.N. CLEMENTE Papa VIII. quem Deus Ecclesiæ suæ felicissime incolumem seruet, à quolibet sacerdote tres Missæ dicantur.

Pro Christianissimis, & Catholicis Maiestatibus; nempe Cęsarea, & Regiis, duę Missę à quolibet Sacerdote dicantur.

Pro Illustriss. ac Reuerendiss. D. Cardinale Matthæio, nostri Seraphici ordinis Protectore, à quolibet sacerdote vna missa dicatur.

Pro Illustriss. ac Reuerendiss. D. Cardinale Burghesio, huius nostri Capituli Præside, à Sanctissimo specialiter deputato; à quolibet sacerdote vna missa dicatur.

Pro Serenissi. Magno Etruriæ Duce, eiusque Illustriss. Prole, qui incredibili deuotione, ac beneuolentia Religioni nostræ afficitur, & pro illa ingentes facere expensas (etiam ad hoc Generale Capitulum) non dubitauit, à quolibet sacerdote vna missa dicatur.

Pro vniuerso Illustrissimorum Cardinalium Cętu, & pro Senatu P. Q. R. ac pro omnibus Christianis principibus, ac cæteris nostris benefactoribus, à quolibet sacerdote vna missa dicatur.

Et vniuersaliter, pro pace, & confœderatione retigenda inter Christianos Principes, pro prostratione hostium fidei, hæreticorum, & Turcarum, ac pro status Ecclesiastici conseruatione, à quolibet sacerdote duę missę dicantur.

Congregatio Generalis proxime futura, in nostro Bononiensi Annunciatæ conuentu signatur.

Mortui sunt, à Capitulo Generali præterito Vallisoleti celebrato, Fratres fere septem millia. Quorum plurimi pro fidei defensione se se morti tradiderunt. Inter quos Frater Petrus. F. Martinus. F. Franciscus. F. Philippus. F. Gundisaluus, & Alter. F. Franciscus, ex Prouincia S. Gregorii, ob Catholicæ fidei confessionem, iussu Japponensium Imperatoris, fame, sitiq. in carcere cruciati, abscissis auriculis, & durius attracti, per medias Meacum, Vsacam, Sacai. Vrbes, post alia tormenta Langasachæ crucibus affixi, lanceisq. confossi, vna cum viginti Japonensis, quos Iesu Christo pepererant; fortiter obierunt, quinta die Februarii anni 1597. Die vero 15. Augusti eiusdem anni, Frater Cosmas Malacitanus, Hierosolymis Maumethanorum templum ingressus, Christi fidem viriliter prædicans: magno fuit impetu repulsus, & cum variis in tormentis constans inueniretur, multis bonorum promissis, frustra tentatur, & tandem capitis obtruncatione martyrium consummauit. Cuius corpus per vrbem turpiter raptum, flammis comburendum traditum est.

# CONFIRMATIO GENERALIS MINISTRI.

Dilecto Filio Francisco Sosa Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Obseruantia nuncupat. Ministro Generali.

## CLEMENS PAPA VIII.

DILECTE Fili, Salutem & Apostolicam benedictionem. Cum sicut accepimus, Tu in Capitulo Generali Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Obseruantia nuncupatorum, nuper in Domo B. Mar. de Araceli de Vrbe celebrato, in eiusdem Ordinis Ministrum Generalem canonicè electus fueris. Nos Te de cuius Religionis zelo, vitæ integritate, morum honestate, sacrarum litterarum scientia, aliisq. virtutum donis hac dignioribus testimonia apud Nos perhibentur, specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisq. Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, Te in Ministrum Generalem præfati Ordinis, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, Tibiq. dictum Ordinem regendi, gubernandi, visitandi, corrigendi, & reformandi, ac alia quæcumque ad Ministri Generalis huiusmodi officium pertinentia faciendi, gerendi, & exequendi facultatem concedimus, & indulgemus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisq. contrariis quibuscumque. Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 5. Iunii M. DC. Pontificatus nostri Anno Nono.

M. Vestrius Barbianus.

*Santiss. D. N. D. Clementis Papæ VIII. Constitutio, Reformatoria statuti Fratrum Minorũ S. Francisci de obseruantia in eorum congregatione generali Neapoli habita, anno M. D X. super perpetuitate Diffinitorum, & patrum dicti ordinis Romæ. Apud impressores Camerales M. DC.*

CLEMENS Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Seraphicum ordinem à Beato Francisco Confessore, in militanti Ecclesia in spiritu humilitatis institutum, & tot sanctorum virorum qui eius vestigia sunt secuti meritis auctum, pristinæ illius disciplinæ, quantum cum Domino possumus, restituere cupientes, ea, quæ ipsi ordini perniciosa

dictoles esse cognoscimus, pro nostri pastoralis officium debito, de medio tollenda esse censemus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire. Cum itaque sicut accepimus, ex quadam constitutione aliàs edita in congregatione generali ordinis Fratrum minorum de obseruantia nuncupatorum Sancti Francisci, Neapoli anno 1590. habita, qua decretum fuit, quod prouinciales ministri actuales, & qui aliàs Ministerij eo officio functi sunt, aut Generales procuratores ordinis, aut in Romana Curia Commissarii, aut patres ordinis seu terræ Sanctæ Gubernatores per tres annos continuos à secretis Ministri, aut Commissarij generales fuerint, in omnibus Capitulis, & Congregationibus, in Diffinitorio votum consultiuum, & decisiuum; in electionibus autem quibuscumque etiam electiuum in sua quisque prouincia, tanquam perpetuo discreti, vocales, & diffinitores perpetuò habeant, sicut ij etiã, qui Generales Ministri, & Commissarij, item generales fuerunt, in omnibus capitulis, & congregationibus generalibus respectiuè, in diffinitorio, & in electionibus quibuscumque simile votum, nimirum consultiuum, decisiuum, & electiuum habeant: Nonnulli dicti ordinis Religiosi, ob huiusmodi dignitatum, seu munerum perpetuitatem, siue dictæ, aut aliarum quarumcumque ordinationum eiusdem ordinis, aut quorumque priuilegiorum Apostolicorum in genere, vel in specie concessorum vigore concessam, aut competentem: Sanctæ illius humilitatis obliti, spiritu superbiæ insolescunt, alij verò eorundem munerum, & dignitatum cupiditate, ob earum diuturnitatem magis incenduntur. Nos pro nostra pastorali sollicitudine, prædictis malis, ne ad ordinis perniciem redundent, occurrere cupientes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, atque Apostolicæ potestatis plenitudine, tam prædictam constitutionem in dicta congregatione generali. Neapolitana editam, quam alias quascumque similes ordinationes, est statuta, in quibusuis Capitulis, aut congregationibus generalibus, aut prouincialibus, seu aliàs quomodolibet edita, quam, quecunque priuilegia Apostolica in genere, vel in specie, quibus suis eiusdem ordinis fratribus, tam in Italia, quam extra Italiam, in quibuscumque mundi partibus concessa, & emanata, quibus in dicto ordine, perpetuitas dignitatum, officiorum, ac munerum quorumcumque conceditur, vel permittitur quarum, & quorum omnium, & singulari tenores, præsentibus, pro expressis haberi volumus, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo reuocamus, annullamus, & abrogamus, nulliusque roboris, & momenti, deinceps in perpetuum fore, & esse, ac eos omnes, & singulos, qui nunc vigore dictæ Constitutionis, & aliorum dictæ Religionis constitutionum huiusmodi diffinitoris, aut patris, aut alterius cuius vis muneris perpetui dignitate, aut officio funguntur, ea dignitate, & munere, & officio absolutos ex nunc esse, & fore, nec illis alterius vti, aut ungi, qui nimo in quibus vis Capitulis, aut congregationibus, vel dictis, prouincialibus, quarumcumque prouintiarum

eiusdem

eiusdem ordinis primò celebrandis; in Ministros, aut diffinit. vel officiales prędictos, ac vice eligi, nullo modo posse volumus, decernimus, & declaramus: & nihilominus harum serie perpetuò statuimus, & ordinamus, vt votum consultiuum, diffinitiuum, decisiuum, & electiuum, ad officia ordinis, in capitulis, videlicet, & congregationibus, aut dictis generalibus, vbicunque locorum pro tempore celebrandis, Minister Generalis, aut diffinitores generales, actuales pro tempore, in prouincialibus verò, quarumcumque prouinciarum eiusdem ordinis, eius, respectiue prouinciæ, in qua celebrabitur, Minister prouincialis, & quatuor patres diffinitores actuales habere possint. Peracto que tempore ministeriatus prouincialis, tam ipsi ministri prouinciales, quam quatuor diffinitores actuales prouinciales suo sint functi officio, illoque absoluti existant eo ipso, nec alterius diffinitoris, aut patris nomen, aut priuilegium quisquam retinere, illisque frui possit, nec de cætero similes constitutiones, aut statuta in dicto ordine, aut in quacumque illius prouinciæ vel conuentu, quouismodo fieri vllo tempore possint, irritum nihilominus, & inane decernen. Quicquid secus super ijs a quoquam quauis autoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obsta. quatenus opus sit Regula nostra de non tollen. iure quæsito, & alijs constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & prędictis, & quibusuis alijs eiusdem ordinis, & quarumcumque illius prouinciarum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alias roboratis statutis, & consuetudini bus priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis eisdem ordini, eiusque superioribus, & fratribus quibuscumque sub quibusuis tenoribus, & formis, ac cum quibuslibet etiam derrogatoriarum derrogatorijs, alijsque efficacioribus, & in solitis clausulis concessis, confirmatis, & approbatis, quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro expressis haben. hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derrogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis manu alicuius Notarij publici, aut secretarij ipsius ordinis subscriptis, & sigillo dicti ordinis, aut alicuius personę in dignitate ecclesiastica munitis, eadem, quę præsentibus, fides habeatur. Dat Romę apud S. Petrum sub annulo Piscatoris. Die x. Aprilis 1600. Pontificatus nostri anno 9.

Locus ✠ annulli Piscatoris.

M. Vestrius Barbianus.

sterſaliter illo, ad habitum admiſerit ; ab officio ſuo omnino remoueatur.

Et cum orationis mentalis exercitium, ſemper ab omnibus religioſis habendus ſit vbique ; præcipimus, vt Guardianus, qui in ſuo Conuentu, quæ ſtatutum Generale de oratione mentali diſponit, infringi permiſerit, irreuocabiliter ab officio deponatur.

Experimento compertum eſt, multum obeſſe ſi Prædicatores, vel per ſeipſos, vel per amicos, tam Fratres, quam ſæculares, loca & Eccleſias petierint, in quibus concionentur, nam prædicant non miſſi. Quare omnino prohibemus, ne concionator aliquis, etiam inſignis, de loco ſuæ prædicationis curam gerat, ſed iuſſui & obedientiæ ſuperiorum omnino ſubiaceat, qui eum Deo inſpirante, eo mittant vbi neceſſitas & vtilitas poſtulauerint. Volumus etiam, vt prædicatores ad concionandum miſſi, ſocio honeſto, & exemplaris vitæ committentur. Nec vnquam ſoli poſſint ire, ne quod verbis ædificant, exemplo vitæ deſtruant. Vt autē omnes auaritiæ ſint prorſus expertes, nec Verbum Dei tanquam venale habeatur ; nullum pro ſe ipſis, vel pro ſocijs, quæſtum frumenti, vel olei, vel alterius rei facere audeant.

Ad cuſtodiendam ſolitudinem, quæ ſpirituali vitæ plurimum conducit, illud præcipitur, ne ſub pœna priuationis officii, Miniſtrorum, vel Guardianorum aliquis, capellanias habeat, exceptis locis illis in quibus Principes, vel communitates volunt Fratres noſtros tātum celebrare, ob eam deuotionem, qua erga ordinem afficiuntur. Illa etiam oratoria, vel confraternitates excipimus, quæ à noſtris Patribus olim fundata fuerunt, aut per longum temporis ſpatium de oīs curam geſſerunt. Vltramarinas ēt excipimus Prouincias, quas ob eorū populorum pietatē, ac ipſorummet inopiam huic legi ſubiectas eſſe nolumus.

Cum ex monaſteriorum frequentatione, ſoleant interdum colloquia, ac familiaritates oriri ; ſtricte præcipimus, ne Fratres noſtri habeant capellanias in monialium monaſterijs, ſiuē noſtri, ſiue alterius ordinis. In ſolemnitatibus aūt, vel obitu noſtrarū ſororum, ad celebranda diuina officia, & miſſas accedere poſſint, hi qui à ſuperioribus miſſi fuerint. Confeſſarijs monialiū Sacerdos aliquis, pro ſocio aſſignari poterit ſi expedire videbitur, qui ſacrū celebret, ſed nullo modo confeſsiones audiat.

Ad eas vagationes, ex quibus ſcandala, ſæpe oriuntur omnino tollendas, præcipimus, ne Miniſter aliquis, Fratres ſuos extra Prouinciā, quæſtus gratia mittere audeat, nec Guardianus extra limites ſui loci, quæſtores ire patiatur, ſed Salmanticenſe omnino ſeruetur decretum.

Cum ſtatutorum, & decretorum multiplicatio, dānum potius quam vtilitatem pariat ; iubemus ea ſeruari, quæ in Salmanticenſi generali Capitulo pie, ac mature, ab vniuerſis noſtræ religionis Patribus ordinata ſunt. Et modus in eis, preſcriptus circa præcedentias ſtricte ab omnibus ſeruetur.

Cum cauſarum judicium, ad externos deuolutum, ſcandala maxi-

ma nostræ religioni gignere soleat; idcirco volumus, vt in loco nostro Araceli Romæ, duo maturi, ac prudentes, religiosique Patres de familia assignentur, qui causas Fratrum totam Patribus Procuratori, & Commissario Romanæ Curiæ audiant, [illegible] quo facilius iis qui ad alienos confugiunt, via omnino præcludatur.

Ne iuuenes discendi cupidi, ignorantiæ tenebris obuoluantur, propter magistrorum inopiam, volumus, Prouinciam Poloniæ, vltramarinas, ac Corsicæ, quæ scholis, ac præceptoribus destituuntur, eos quos idoneos, ac alicuius spei nouerint Fratres, ad studia Italiæ mittere posse; quæ Reuerendi Patres Generalis, & Commissarius ordinauerint.

Si contrauenientes constitutioni S. D. N. CLEMENTIS Papæ VIII. de muneribus non recipiendis, à suis superioribus non fuerint pœnis in dicta constitutione contentis puniti, superiores ipsi in hoc negligentes, eisdem pœnis subiiceantur.

Pœnas excommunicationis, & suspensionis à diuinis, etiam ipso facto incurrendas, per quæcumque statuta, tam Generalia, quam Prouincialia, Fratribus cuiuscunque familiæ inflictas, reuocamus, & annullamus, ac in alias pœnas, iuxta delictorum qualitatem, superiorum arbitrio commutamus.

## PRO GALLICIS, ET BELGICIS PROVINCIIS.

OMnes Gallicæ prouinciæ, regantur secundum statuta Barchinonensia, ab antiquis recepta, & à Pio V. Pont. Max. approbata, nec recentioribus passim grauentur statutis, à Commissariis latis, permittimus.

Renouatur statutum Capituli Generalis Romani anni 1571. ab eodem Pio V. approbatum, pro continuatione Guardianorum, quamdiu vtiles, aut necessarii videbuntur, in aliquibus conuentibus, iuxta iudicium Patrum Ministrorum, & Diffinitorum Prouincialis Capituli.

Commissarii mittendi ad prædictas Galliæ Prouincias, nationales sint ex eisdem Prouinciis, vel saltem ex vicinioribus, de sumptibus, & expensis grauentur; qui Commissarii, nulla poterunt statuta condere sine diffinitorum consensu.

Pater Procurator ordinis curabit à S. D. N. obtinere aliquod breue, quo prohibeatur Reuerendiss. Dominis Episcopis, ne recipiant, neque receptos detineant Fratres, à suis Prouinciis, aut conuentibus exeuntes, sine suorum superiorum licentia, sed ad suos remittant Prælatos. Idemq. Patribus conuentualibus prohibeatur.

Vt diuagandi occasio Fratribus omnino tollatur statuimus, vt qui ad curiam Romanam non missi, sed pœnas sibi debitas euitandi gratia confluxerint, corrigantur iuxta legem à Generali Capitulo Romano latam anno 1571. & à Pio V. bon. mem. approbatam.

Confirmatur statutum factum à Magistris, & discretis conuentus Parisiensis anno 1597. iussu Illustriss. D. Patriarchæ ordinis tum Generalis Ministri, in fauorem Prouinciæ Aquitaniæ, quod videlicet in posterum decem sacerdotes recipiantur, & totidem iuuenes.

PRO HISPANICIS PROVINCIIS.

Confirmatur statutum Vallisoletanum, in illorum fauorem, qui per duodecim annos sacram docuerint Theologiam, lege hac, & conditione, vt anni illi continui intelligantur; & quod in sæculo, vel in religione integrum prius liberalium artium cursum, tales [illegible] perlegerint.

Confirmatur item statutum Generale de non concedendis licentiis ad nouos conuentus ædificandos, nisi in Generali Capitulo.

Omnia illa quæ in congregatione Victoriæ ordinata sunt, pro nostræ familiæ bono regimine ad vnguem obseruentur, dempta præeminentia illa, quæ artium liberalium lectoribus conceditur, qui si in principalioribus prouinciarum conuentibus legere contingat, sedere debent post Vicarios conuentus.

Vota omnia pro Nouitiorum ad habitum receptione, & eorum professione non verbaliter, sed per albos, & nigros calculos recipiantur, cum sic conscientiæ, & solemnitati melius consulatur.

Diligenter curetur Reuerendissimi Generalis iussu, Fratres omnes ad chorum deputati, cantum firmum addiscant; nec alios ad sacros ordines [illegible] conuentibus [illegible].

Ministri prouinciales in posterum, non eligantur ex aliis prouinciis, nisi magna, & urgenti necessitate, & ex consensu totius [illegible].

PRO INDIARVM PROVINCIIS.

Commissarii Generales in partibus Indiarum existentes, omnia [illegible] prouincialibus Capitulis præsint, & [illegible] maiora visa [illegible] conuentuum indigentiis facilius consulere valeant.

Prohibetur eisdem Commissariis generalibus, in statutis prouinciarum dispensare sine prouincialium, & diffinitorum consensu.

Ordinatur eisdem Commissariis, ne in nouitiorum ad habitum receptione, nec in incorporationibus Fratrum, se intromittant: sed Ministris, & Diffinitoribus, eas libere relinquant, quod si aliter incorporatio aliqua facta fuerit, minime teneat.

Conceditur Prouincialibus Ministris, vt pro publicis & grauissimis causis, vnum vel alterum Fratrem ad Regiam curiam mittere valeant: rationem reddituros superioribus Prælatis, de Prouinciarum statu; & necessitatibus, vt melius & facilius remedium adhibeant.

Socii, ac visitatores Commissariis inhabiles esse declarantur, ad officia Guardianatus, & Prouincialatus secunda, omni prætextu postposito.

Omnino interdicitur, ne prætextu censuræ in iudicium deducendæ aduersus aliquem Fratrem, eum ab officiis honoris sequestrent, maxime si alias dignus sit, & notæ [illegible]

Prohibetur stricte Fratribus ab Indiis Hispaniam versus petentibus, ne auro, argento, lapidibus preciosis, aliisve donis, etiam pietatis causa se onerent, & contrarium facientes pœna proprietatis plectantur.

Difinitores actuales Prouinciarum, non eligantur custodes pro Generali Capitulo [illegible].

Renouatur statutum Tholosanum, quod vocales non teneantur accedere ad Congregationes Generales, sed tantum ad Comitia Generalia, in electione Generalis Ministri suffragaturi.

Præcipitur Prouincialibus Ministris, vt lectores eligant in principalioribus conuentibus, qui linguam Indorum doceant Fratres, & Fratres illam addiscant, atque ea loquantur, vt melius ministerio naturalium vacare valeant.

Prohibetur Generalibus Commissariis, literas testimoniales petere à Fratribus, pro optima suorum officiorum administratione, ne aliquid iuri dissonum inde sequatur.

Fratres omnes suos superiores ministros pro suspectis recusantes, in suis causis agendis [illegible], & vt seductores à Prouincia exilio condonentur.

Frates ad Indos transfretantes, sub Commissarii alicuius obedientia, & ad destinatam Prouinciam, si in aliam se conuerterint, Apostasiæ pœna plectantur, & statim ad eam [illegible] Prouinciam ad quam fuerint destinati. Quod si Ministri, aut Guardiani secus aliquando fecerint, priuationis suorum officiorum pœnę subiaceant.

Confirmatur statutum de Fratribus transferendis, ex vna in aliam Prouinciam, de consensu vtriusque Ministri, & si aliter aliquis Frater receptus fuerit, Minister qui illum recepit, priuationi sui officii succumbat, & Frater receptus, tanquam spurius Prouinciæ reputetur, & incorporationi, & officiis ordinis subeundis inutilis habeatur.

Fratres omnes ad Indos transfretantes teneantur rationem reddere vicecommissario Indiarum, in conuentu S. Francisci Hispalensi existenti, de rebus omnibus quas pro Ecclesiarum ornatu, & seruicio eo deferunt (vt sunt paramenta, imagines, libri scholastici, & pro choro deputati) & ab illo accipiant testimoniales literas de omnibus, ad Ministros deferendas, vt illis innotescat, quæ, quanta, & qualia, à Fratribus deferantur, secus autem facientes proprietatis pœnis puniantur.

Confirmatur statutum Generale de existentia Vicecommissarii Indiarum in conuentu S. Francisci Hispalensi.

Declaratur statutum Generale de approbatione Fratrum ad Indos mittendorum, hoc modo, quod illi qui in tabulis Capitularibus Prouinciarum approbati extiterint, pro approbatis habeantur, nisi aliqua post [illegible] honoris publica nota maculati fuerint.

Præcipitur stricte Prouincialibus Ministris, vt de eleemosynis custodibus ad Generale Capitulum accedentibus elargitis, rationem exactam, & distinctam [illegible] quærant, vt in omnibus tutissime incedatur.

# TABVLA CONGREGATIONIS GENERALIS ROMANAE

Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſeruantia 1603.



ROMAE

*Ex Typographia Cameræ Apoſtolicæ. M. DCIII.*

# IN NOMINE DOMINI. AMEN.

## HÆC EST TABVLA HVIVS CELEBERRIMÆ Congregationis Generalis in hoc celebri Conuentu Aracœli Vrbis Anno Domini M.DCIII. Die xvij. Mensis Maij sub Reuerendiss. Patre Fratre Francisco de Sosa totius Ordinis Minorum Generali Ministro celebratæ.

IN primis Triennio officij Commissariatus Generalis Reuerendissimi Patris Fratris Ioannis Francisci Maculini absoluto, licèt per Annum mortis preuentione interrupto, omnibus suffragijs ad vnum in Commissarium Generalem Cismontanæ familiæ cooptatus est Reuerendissimus Pater Frater Franciscus de Belgioioso Ordinis & S. Didaci Prouinciæ Pater.

### Procurator Generalis Ordinis.

Admodum Reuerendus Pater Frater Ioannes de Rada de mandato Sanctissimi continuatur.

### Commissarius Curiæ.

Admodum Reuerendus Pater Frater Franciscus de Palumbaria Ordinis, & Prouinciæ Romanæ Pater.

### Diffinitores Generales.

Admodum Reuerendus Pater Frater Gratianus de Altamura Vicarius Generalis præteritus, & Prouinciæ S. Nicolai Pater.

Admodum Reuerendus Pater Frater Irenæus Brasauola Prouinciæ Bononiæ Custos.

Admodum Reuerendus Pater Frater Euangelista de Gabbiano Mediolanensis Prouinciæ Minister.

Admodum Reuerendus Pater Frater Ioseph Siracusanus Siciliæ Prouinciæ Pater, & Lector Canonum Aracœli.

Admodum Reu. P.Fr.Franciscus Aretinus Prouinciæ Florentiæ Pater.

Admodum Reuerẽdus Pater Frater Marianus Polonus Prouinciæ Poloniæ Custos.

## Guardianus Conuentus nostri Montis Sion, totiusq; Terræ Sanctæ Commissarius instituitur.

Reuerendus Pater Frater Cesareus de Trino Prouinciæ Romanæ Diffinitor.

## Guardianus Constantinopolitani Conuentus.

Pater Frater Cherubinus de Macerata Prouinciæ Marchiæ.

## Dispositio Lectorum pro singulis studijs generalibus.

### In Conuentu S. Petri Montis Aurei Vrbis.

Admodum Reuerendus Pater Frater Irenæus Brasauola generalis Diffinitor.
Pater Frater Gregorius Petrocha, &
Pater Frater Franciscus Maria Schiettegius Lector Sacræ Theologiæ moralis.

### In Conuentu Perusiæ.

Pater Frater Sebastianus Oliuerius.
Pater Frater Bernardinus Bonauoglia, &
Pater Frater Leonorus de Cantiano, moralis Theologiæ Lector.

### In Conuentu S. Mariæ Nouæ Neapolis.

Pater Frater Antonius de Turri Lector Theologiæ moralis.
Pater Frater Archangelus de Tricarico, &
Pater Frater Petrus de Rheggio.

### In Conuentu S. Mariæ Angelorum Panormi.

Pater Frater Angelus de Platea
Pater Frater Bonauentura de Politio, &
Pater Frater Bonauentura de Drepano Lector Theologiæ moralis.

In

## In Conuentu Aquilæ.

Pater Frater Felicianus de Ciuitella.
Pater Frater Hippolitus de Montemadio, &
Pater Frater Thomas Scotinus Lector Theologiæ moralis.

## In Conuentu Vineæ Venetiarum.

Pater Frater Antonius de Arcu.
Pater Frater Angelus de Polesino, &
Pater Frater Leonardus de Veritate Lector Theologiæ moralis.

## In Conuentu Placentiæ.

Pater Frater Andreas Cremonensis.
Pater Frater Bonauentura de Massignano, &
Pater Frater Ambrosius de Bononia Lector moralis Theologiæ.

## In Conuentu omnium Sanctorum Florentiæ.

Admodum Reuerendus Pater Frater Franciscus Aretinus generalis Diffinitor.
Pater Frater Octauianus Lancisinus, &
Pater Frater Franciscus Volaterranus, Lector moralis Theologiæ.

## In Conuentu Annunciatæ Ianuæ.

Admodum Reuerendus Pater Frater Augustinus de Spedia.
Pater Frater Antonius Brugnettus, &
Pater Frater Bonauentura de Onelia Lector moralis Theologiæ.

## In Conuentu S. Angeli Mediolani.

Pater Frater Marcus Antonius de Lunato.
Pater Frater Franciscus Bernardinus Vercellen.
Pater Frater Angelus de Canobio Lector Theologiæ moralis.

## De vnione Prouinciarum Tusciæ, & Florentiæ.

Quoniam per experientiam rerum omnium magistram cognitum est & exploratum, quòd propter diuisionem Prouinciæ Tusciæ plurima inconuenientia sunt oborta, cùm eadem Prouincia adhuc paucis numero munita sit fratribus, & quamplures ad vniendum eam Prouinciæ Florentiæ iustissimæ vrgent causæ, decretum est conformiter ad facultatem, quæ super hoc concessa est nunc à Sanctissimo Domino Domino Nostro CLEMENTE PAPA VIII. super vnione Prouinciæ præfatæ, iterum vniri cum Prouincia Florentiæ. Quapropter cum merito salutaris obedientiæ Minister, Custos, Diffinitores, Guardiani, & Discreti, tam Prouinciæ Tusciæ, quàm Prouinciæ Florentiæ Capitulum proximè celebrandum in Conuentu Senarum adire omnes non desinant, in quo vota electiua præstabunt, recipientq; concurrentes nouæ electioni vnius Ministri, aliorumq; officialium, atq; ab eodem celebratæ electionis ambæ Prouinciæ in vnam quo vnitæ remaneant, quemadmodum, & prius existebant.

# STATVTA

## Ædita in Capitulo Generali Congregationis Cismontanæ Familiæ, habitæ in Sacro Aracœli Conuentu. Anno Domini M. DCIII.

VT obseruetur Statutum circa Fratres alienæ Prouinciç præcipitur omnibus Ministris sub priuationis officij pœna, vt quamprimum vnusquisq; in suam peruenerit Prouinciã teneatur intra duorum mensium spaciũ quoslibet alienæ Prouinciæ Fratres in suã ipsorum, cũ obedientia scripta, mittere Prouinciam. Sub eadem quoq; pœna præcipitur, vt nemo Superiorum audeat retinere Fratrem aliquem itinerantem tanquam de familia in suo loco, qui sit alienæ Prouinciæ, possit autem eum humaniter retinere per aliquot dies. *De non retinēdis fratribus alienę Prouinciæ.*

Item, quoniam in aliquibus Italiæ Prouincijs vbi reperiuntur Conuentus principales non pauca, neque modica oriuntur inconueniẽtia, dum omnes quasi Prouinciæ Fratres commoditate locorum illorum frui contendunt, vnde medio hominum fauore collocati, & diutius commorati, à Superioribus cũ opportunum pro bono regimine videretur, nullo modo valeant dimoueri, cum magno, & manifesto aliquorum locorum detrimento: Quamobrem præcipitur, vt in capitulis, & Congregationibus Prouincialibus, in quibus ordinantur familiæ, Superiores super cætera attendant talem abusum è medio tollere, cui quidem malo opportunius occurrere volentes in hac Generali Congregatione inhibemus omnino, ne iterum collocentur de familia in principalioribus Conuentibus specialiter, Romæ, Neapolis, Panhormi, Florentiæ, Ianuæ, Venetiarum, Mediolani, Fratres illi qui integrum triennium iam fuerint ibidem commorati. Nisi fortè fuerint in eisdem Conuentibus instituti Guardiani, Lectores, Confessores Monialium, Aromatarij, Infermarij, aut illi, qui fuerint aliqua infirmitate, seu debilitate euidenter affecti, vel multa senectutæ confecti, vel talis etiam reperiatur ibidem Frater, qui tanta populum exemplaritate ædificet, quod sine secularium admiratione non valeat remoueri. *Ne plusquam triẽnium commorentur in eodē loco principaliori.*

Item ordinatum est, quòd omnes Fratres exilij pœna mulctati suam vnusquisq; repetat Prouinciã, & in compensatione sublati exilij subeant pœnã reclusionis in Conuentu secundum tempus exilij remissi, de quo non possit exire nisi de obedientia Superioris ob Conuentus ipsius exigentem necessitatem, non tamen extra terminos quæstæ loci eiusdem. Indultum autem hoc non intelli- *Vt omnes exiliati suam repetat Prouinciam.*

gatur de illis, qui à Prælatis Generalibus exilij pœna sunt affecti: Ac proinde prohibetur, ne aliquis imposterum pœnam exilij valeat infligere, cuius occasione tot Fratrum diuagationes noxiæ exoriuntur. Verumtamen Patres graues, qui propter sua delicta notabilia mererentur carceris reclusionem, ad euitandum scandalum, vel inconueniens, quòd posset oriri propter hoc, exilij pœna possint mulctari.

*Ne Ministri mittãt Fratres extra Prouinciam.*

Item Ministris omnibus tollitur auctoritas mittendi Fratres extra Prouinciam, nisi pro negocijs Prouinciæ propriæ. Et cum occurrerit causa mittendi eos intra, vel extra Prouinciam, detur illis eundi licentia cum temporis præfinitione assigneturq; cuilibet mittendo socius iuxta qualitatem personæ, sicuti, & quampluries institutum est secundum doctrinam, & documenta Sanctorum Patrum, Inter quos præcipuè gloriosus Sanctus Gregorius scribens Ioãni Diacono Rauennensi, grauis criminis condemnat Abbatem Cõstantium, qui solus absq; socio pergerat ad Monasterium in Picena situm Prouincia, ex qua Sanctissimi Doctoris, & Papæ sententia cognoscimus, quòd Religiosus ille qui ambulat sine teste suarũ actionum rectè non viuit. Quamobrem Superior contrafaciens ordinationi huic, ipso facto suo sit priuatus officio, nisi quando ob euidentem necessitatem aliquos mittere oportet pro eleemosyna petenda, intra terminos quæstæ sui Conuentus.

*De destinãdis Comissariis de ꝓpinquis ꝓuinciis.*

Item ordinatum est, quòd Commissarij destinandi ad visitandas Prouincias seligantur è vicinioribus, & propinquioribus Prouincijs, qui quidem integram suam visitationem complere teneantur infra tres menses, eo modo quo ordinatum est, & obseruatur in Prouincijs Vltramontanæ familiæ, quamuis Prouinciæ illæ sint ampliores: Quo tempore finito nullum amplius exerceãt iurisdictionis actum. Casus itidem graues, qui in visitationibus occurrerint, nullo pacto per definitiuam sententiam determinent, nisi de consilio, & consensu Diffinitorum. Inter quos, si aliquis suspicione iusta laborare fuerit deprehensus, nimirum amicitia, odio, & huiusmodi, in ipsius locum ad causas definiendas sufficiatur alius Pater grauis.

*De lectione casuum cõsciẽtiæ.*

Item ad maiorem obseruationem eorum, quæ decernuntur à Conc. Trid. circa lectionem Sacrorum Canonum, ordinamus quòd in omni Conuentu post primam in mensa lectionem vnus quilibet, tam Confessorum, quàm Prædicatorum, Patrumq; Prouinciæ teneatur loco secundæ lectionis proponere in eodem Refectorio, & soluere aliquem casum conscientiæ, & vbi non fuerint quinque ex Lectoribus, Prædicatoribus, & Confessarijs, vt supra loco secundæ lectionis legetur saltem liber aliquis tractans de casibus conscientiæ, sicuti melius videbitur expedire Guardiano.

*De instituendis examinatoribus prædicatorũ, & conf.*

Item Pater Reuerẽdissimus Commiss. Generalis in qualibet Prouincia instituat duos Fratres scientia, & conscientia præpollentes, qui examinẽt omnes Prædicatores iuuenes, & Confessarios, annotando secretò sine aliqua notificatione sufficientiam, aut insufficientiam cuiuspiam, id verò, vt probe perficiant præcipitur eis sub obedientia, vt inde fideliter, atq; secreto suam super

hoc

hoc ſententiam mittant in ſcriptis Patri Commiſſario Generali, qui officium prædicationis, aut Confeſſionis inhibeat cuilibet inſufficienti, quòd ſi quiſquam auſus fuerit nolle ſe poni ſub examine, ipſo facto priuatus ſit ſuo miniſterio.

Item Confeſſariorum denuo inſtitutorum bene perpendatur ſufficientia, vita, atq; ætas, quæ vt minimum ſit annorum triginta, & ille qui procurauerit fauore, & interceſſione perſonarum extra Religionem inſtitui in confeſſarium, in eaſdem incidat pœnas, quas incurrunt hi, qui officia Ordinis ſibi procurant cum tali medio. Superiores inſuper, qui ſciuerint aliquos hoc modo confeſſarios inſtitutos eſſe nullo prorſus pacto per ſe in tali munere eoſdē valeat inſtituere.

De conditionibus, quas habere debent Confeſſ.

Item inſtauratur Statutum editum à Noſtro Reuerendiſsimo Patre Generali, in quo prohibet, quòd Confeſſarij non poſſint recipere, nec denarios, nec pecuniam à pœnitentibus, nec directè, nec indirectè, neq; per ſe, neq; per interpoſitam perſonam, ſub pœna priuationis officij Confeſſoris in vtroq; foro, quòd quidem de nouo præcipitur ſub ſanctæ obedientiæ præcepto ſuper addita ſententia excommunicationis ipſo facto incurrenda, quæ ſit reſeruata Miniſtro, & in eius abſentia Guardiano.

De pœnis Confeſſariorum recipiētium denarios, vel pecuniam.

Item, vt calumnijs hominum malignorum obuietur, è quibus ſe redimi clamabat, Propheta dicens: Redime me Domine à calumnijs hominum. Determinatur inuiolabiliter ſeruandum, vt illi, qui reperti fuerint tempore Viſitationis tacuiſſe aliorum delicta, quæ de iure fuerant denuncianda Viſitatori, ob intentum ſuum particulare, quòd cum non fuerint conſequuti, non verentur eadem retegere pluries, & ad diuerſos Superiores deferre, ſuam excuſantes malitiam ſub eo prætextu, quòd fiduciam non habebant Commiſsario illi, vel Superiori ordinario, qui primo viſitauerat Prouinciam, ſeueriſſimè caſtigētur tanquam conſpiratores, & pœna priuationis perpetuæ actuū legitimorum mulctentur, niſi forte eodem Viſitationis tempore, apud eundem Commiſſarium proteſtētur, quòd ad alium velint recurrere Superiorem ad aliquorum denuncianda delicta, quàm proteſtationem efficere teneantur infra terminum ab eodem Commiſſario vel Superiori ordinario ſibi datū, cū ſpecificatione particulari illius Superioris ad quem intendunt recurrere.

De calumniatoribus quòd nō detegētes delicta aliorum quando oportet retegunt, quando nō oportet.

Item priuatione actuum legitimorum ſimul, & officij, puniantur Superiores illi, qui exequi facere neglexerint pœnas omnes contentas in Conſtitutione Gregorij Papæ XIII. latas contra recurrentes ad Tribunalia ſecularia, & in eaſdem quoq; pœnas, & excommunicationē latę ſententiæ incidere volumus omnes illos, qui ſecreta Religionis grauia reuelauerint perſonis externis directè, vel indirectè, tam voce, quam ſcripto.

De exequēdis pœnis contra recurrentes ad ſecularia tribunalia.

Item, ad obuiandum, vt oportet, nimiæ relaxationi, quæ ſanctam labefactauit vbiq; paupertatem pecuniaria proprietates inſtauratur Statutū obſeruandum omnino cum maxima diligentia, quòd Guardiani prouideant de neceſſarijs omnibus ſubſtentationi Fratrum pro victu ſimul, & veſtitu ita, vt iuxta ver-

De prouidendo neceſſitatib. Fratrū, ne

occasioné habeant eé proprietarios. Sess. 25. c. 2. de Reg.

ta verba Sacri Conc. Trid. Nihil quod sit necessarium eis denegetur, quòd si Minister Prouinciæ ad exequendum pœnas contra Guardianos non prouidétes inflictas, fuerit negligens, officio sui Ministeriatus sit priuatus ipso facto. Et ne aliquam Guardiani prætendant excusationem, declaramus ea omnia esse Fratribus danda quæ expresè in Regula, & Cōstitutionibus sunt designata, sicuti vestimenta, corda, femoralia, calepodia cum coreo completa, ad incedendum, & mappulæ, & alia, quæ secundum particulariorem indigentiam, iuxta dispensationem Regulæ communiter sunt necessaria sustentationi naturæ. Et quia pluries ordinatum est, sed nondum seruatum apparet, quòd Fratres illi, qui gratiam habentes laborandi, opera aliqua manualia sciunt fabricare, veluti cordas, coronas, calepodia, eorundem corja, & alia huiusmodi, ea vendere nec possint, neq; commutare, sub pœna proprietarij: experientia verò docuit hoc non esse satis. Iccirco ad specialem petitionem totius discretorij ordinatum est, quòd nullus Fratrum aliquid huiusmodi audeat fabricare, nisi illud solum, quòd à Guardiano, vel alio Superiore illi fuerit designatum, & demandatum, quæ quidem opera statim, ac fuerint perfecta tradantur Guardiano, qui secundum necessitates Fratrum illa distribuat, quòd si quispiam huic ordinationi contrafecerit pœna proprietarij inuiolabiliter puniatur.

De recusã dis legatis perpetuis, & modo p te statur ia ciendi.

Item circa legata perpetua seruetur Statutum Vltramontanum, quòd de industria per extensum hic apponimus, vt sequitur.

Cum annuos redditus sicut cætera bona immobilia nobis habere nō liceat, ideo renouantes alia Generalia statuta, decernimus, quòd nullus Frater inducat personam aliquam ad eleemosynam perpetuam ordini nostro exhibēdam, nec exhibitam, à quopiam viuente suscipiat, & si aliqua talis nobis fuerit relicta, nullo modo in iudicio exigatur, declarantes quòd ad perpetua legata petendæ non possunt Fratres recurrere, nisi humiliter, & per modū eleemosynæ absq allegatione alicuius debiti. Decernitur præterea, ac præcipitur per Sanctam obedientiam, quòd quoties relinqui contingat aliqua legata perpetua aliquibus personis, & Hospitalibus, vel alicui Reipublicæ, & alijs domibus ea lege, quòd teneantur Fratribus præstare singulis annis certam eleemosynam, siue omnino gratis, siue vt ipsi Fratres dicant certa officia, & Missas, quòd Guardianus faciat protestationem ei qui testatoris voluntatem adimplere tenetur, quòd ad illas eleemosynas, nullum ius habent ex vi legati, nec possunt obligari ad illa officia, & Missas. Si tamen facta ista protestatione, hæres ex sua libera voluntate voluerit dare eleemosynas illas, & committere Fratribus dicta officia, & Missas, tunc Fratres tuta conscientia possunt eleemosynas huiusmodi recipere. Quòd totum, & multo fortius, in relictis legatis singularibus Fratribus simili modo faciendum esse decernimus, inhibemus autem, ne sindicus in sua persona huiusmodi annuos redditus recipiat distribuendos ipsis Fratribus. Protestatio autem sic fiat sub Sigillo Conuentus, videlicet, Nos Frater N. Guardianus, & Fratres Discreti huius Conuentus N. dicimus ad

nostram

nostram notitiam peruenisse, quondam N. certam eleemosynæ quantitatem Conuentui huic distribuendam perpetuò, gratis, vel forsan pro aliquibus officijs, aut Missis dicendis legasse. Cumq; legata huiusmodi nisi per viam simplicis eleemosynæ acceptare ex instituto sancto nostro, & iure nobis non liceat, ideo per præsentes liberè protestamur in Domino, quòd legatum prædictum tanquam illius incapaces, ex vi legati recipere nolumus, nec intendimus. Si tamen hæres, Commissarius, aut Legatarius ipsius testatoris dictam quantitatem per viam simplicis eleemosynæ, omni obligatione, dominio, & proprietate, pœnitus cessantibus, nobis liberè conferre voluerit, illã simpliciter accipimus, & piè Testatoris voluntati, quantum in nobis fuerit, plenè, ac fideliter satisfaciemus. Hæc autem protestatio subscripta per Guardianum, & Discretos Conuentus dabitur illi qui tenetur testatoris voluntatem implere, & eadem protestatio scribetur in libro Conuentus, vt constare possit succedentibus Guardianis hanc Constitutionem fuisse ad plenum adimpletam. Est autem hæc protestatio necessaria, vt optimè decernit Diuus Bonauentura hanc disputans quæstionem, & ex Apostolicis declarationibus Regulæ nostræ colligitur. Et vt omnibus sit compertum, id quod tantopere est nobis necessarium ipsam D. Bonauenturæ quæstiunculam ex suo Apologetico desumptam hic apponere de industria, nõ grauabimur, quæ talis est, vt sequitur. Bonauenturæ doctrinæ.

Cum asseratis vos secundum regulam, & professionem vestram nullos debere recipere prouentus reddituum, seu possessiones exceptis domibus, in quibus habitatis videmini transgressores Regulæ vestræ in eo quòd recipitis domos, vel areas non contiguas vestris areis, in quibus habitatis, eodem enim modo si hoc licet poteritis etiam vineas recipere, & agros, & mãsos, & similia quæq; recipere, imo grancias, & villas, & Castra, & terras, & Oppida, & quæcunq; fuerint vobis data, & sic pristina paupertas, & mendicitas quam professi estis paulatim euanescere, & non eritis discipuli Sancti Francisci cum non sequamini vestigia eius, nec eius Regulam teneatis, de domibus enim vobis contiguis potest esse excusabile, quòd pro dilatanda area vestra illas quandoque recipiatis, sed de alijs non ita, in quibus homines alios pro censu locatis, quem procurator vester loco vestri exigit, & in vsus vestros conuertit de voluntate vestra.

Resp. Si qui in talibus incautè agunt, dolemus, & contradicimus, & prohibemus. Qualiter autem in hoc licitè agere possimus aduerte, & tunc non iudicabis nos (si sanè intelligis) transgressores. Protestamur nos secundum Regulam nostram nil debere, seu velle possessionis, vel certorum reddituum recipere, vel habere. Quia verò mendici sumus, & pauperes ea quibus pro præsenti necessitate indigemus, ideo recipimus, prout licet, siue pro soluendis debitis, vel alijs necessarijs procurandis. Cum ergo aliquis ex deuotione vult nobis legare domum suam, vel aream non contiguam nostræ mansioni, non recipimus eam per nos, nec per interpositam personam, vt nostram, sed si illæ eam disponit per alium quemcumq;, vt ea vendita de pretio eius prouideatur nobis.

bis ex parte sui, in his, quibus tunc indigemus procurandis, vel soluendis debitis, acceptamus. Si autem ille timens ne fortè eius talis dispositio per hæredes suos, vel alios imposterum impediatur, & propter hoc præoccupat roborare illā Sigillo alicuius Iudicis, vel ciuium, vel alterius, & sic committit eam alicui amico suo, vel Fratrum, qui conseruat, quòd ipse disponit de domo tali, vel area, nil ad nos, cum de rebus suis possit ordinare, quòd vult, nec locum talem, vel domum dicimus esse nostram, cum nihil iuris nos in ea protestemur habere. Similiter si aliquis disponeret, per amicum, vel alium, quòd de pretio, vel de prouentibus illis, vel illis darentur Fratribus tot panes quotidie, vel tantum eleemosynæ singulis septimanis, aut annis, non essemus propter hoc prædij, vel redditũum possessores, nam si me petente eleemosynam aliquis diues promittat, quòd singulis annis velit dare Fratribus duas tunicas, vel tantum vnam, vel singulis hebdomadibus tot panes, & hoc committat officialibus suis, vt vice sui ista dent etiam eo absente, & hoc pro Fratribus recipiam, vel etiam si illi negligant dare admonendo exigam, nunquid propterea certos redditus habere dicendi sumus, cum non ex iure, sed ex gratia solum talem eleemosynam recipiamus, vel exigamus. Et si post obitum illius vxor eius, vel alij amici pro anima illius adhuc velint aliquo tempore talem nobis eleemosynam per se, vel ex dispositione illius largiri, possemus similiter accipere ex tali gratia, ita quod quandocumq; nollent amplius ista dare nihil peteremus ab eis quasi ex debito, sed more mendicorum recurreremus ad domum clementis Domini pro quotidiana eleemosyna quādiu illi placeret, sed quando plus nollet discedimus vacui, gratias agentes de dato, & non murmurantes de negato. Hæc est vera, & pura vita mendicorum, quòd datur ex gratia recipere, non ex iure.

De censibus verò domorum Fratribus legatarū nihil quærimus, sicut nec de alijs redditibus. Si autem antequam vendantur aliquem inde censum dare volūt hi in quorū tunc potestate sunt illæ domus, nihil iuris habere in eo protestamur, sed eleemosynam nobis spontè oblatā simpliciter recipimus, sicut aliunde donatā. Quia verò Dominus docet nos cauere ab hominibus, Matt. 10. & Apostolus, ab omni specie mala abstinere primæ Thes. 5. Ne putemur ab ignorantibus transgressores Regulæ nostræ, debemus apertè protestari nihil nobis iuris in talibus donationibus velle habere: sicut tenetur suspectus de fornicatione omnia illa cauere, ex quibus posset ista suspicio probabilis iudicari. Hæc omnia D. Bonauentura.

Sed quia in his casus solet aliquando euenire, quòd annuus redditus ob temporis antiquitatem non comperiatur habere aliquem patronum cui fieri habeat talis (vt supra) protestatio, Decernimus, quòd in tali casu seruetur Statutum Ordinis Minorum sub Paulo Secundo contentum in Constitutionibus super Capitulo sexto Regulæ, & § inhibemus. Quod nimirum huiusmodi redditus adsignetur Rectoribus spiritualibus, aut temporalibus Collegiorum, aut Communitatum Terrarum, aut Ciuitatum, qui tales eleemosynas, siue fructus,

ctus, vel redditus annuos nomine Ecclesiæ Romanæ, vel donantium, sine Fratribus exigant, & recipiant, & Fratribus, siue alijs Sacerdotibus quando Fratres noluerint tales Missas, vel suffragia iuxta piam intentionem benefactorum in toto, vel in parte secundum quantitatem talium obuentionum dicere faciant.

Item statuitur, vt deinceps nulla Instrumenta publica fiant à Fratribus capitulariter congregatis, nec quocumq; alio modo se habentibus, in quibus transferatur dominium, & proprietas alicuius Cappellæ, siue sepulturæ, cum hoc omnino sit contra Regulam, & nostrum repugnat institutum, namq; vt aliquis Deo det, quòd non habet, si tamen occasio se obtulerit, in quo oporteat satisfacere deuotæ fidelium voluntati id fiat per modos nostræ Regulę, & instituto congruentes. Est autem protestatio prædicta necessaria, ne vt ait D. Bonauētura ab ignorantibus nostrū institutum Regulæ nostræ transgressores iudicemur, cuius Seraphici Doctoris sententiam hic inserendam iudicauimus, quatenus è medio tollatur abusus ignorantissimorum aliquorum, qui existimantes Charibdim fugere, in Scillam inciderunt in fauorem Ordinariorum, vel alicuius tertij, vel hæredis viuentis prædicta legata quasi non esset clarius proprietatis, & Dominij opus donare quam accipere, & summa dementia alienum renunciare. Ne fiant Instrumēta publica sup sepulturis, et cappellis.

Itē confirmatur, & instauratur Statutum Communitatum erigendarum, qua de re Fratres omnes nemine excepto cuiuscunq; sit officij, & dignitatis cum nouum acceperint vestimentum, teneantur reddere vestimentum vetus, illudq; Communitati assignare conformiter antiquæ sanctæq; consuetudini nostræ. Idcirco Ministri non permittant, quòd aliquis Fr. teneat plusquam habitum vnum, & vnam tunicam, nec liceat ei duas tenere tunicas nisi ex manifesta necessitate, cum expressa licentia, sed quandocunque occurrerit vestimenta mutari recurrant ad supradictam Communitatem, cui restituendæ, & conseruandæ Ministri, & Guardiani diligentissimè inuigilent, & attendant. De communitatibus erigendis, et conseruandis.

Item ministri sine intermissione exequantur, vel exequi faciant pœnam priuationis officij, & proprietatis in Guardianos qui triticum seminauerint, vineamq; vindemiauerint, in situ, siue in area Conuentus, eo pacto quo ordinatum est, atq; prohibitum in pluribus Statutis. De non seminādo tritico, nec vinea excolenda.

Item ad obuiandum fluxæ relaxationi, quæ multa inconuenientia afferre solet Religioni circa mittendas, & recipiēdas literas. Ordinatur conformiter Optimis Religionum institutis, sacrisq; Canonibus, quòd nullus Fratrum audeat literam aliquam mittere, vel recipere sine Superioris Conuentus licentia, qui facultatem de iure ipso habet legere, tam eam, quàm Fr. scribit, quàm eam quàm recipit; Et qui conuictus fuerit contrarium facere, prima vice comedat in pane, & aqua in Refectorio, secunda vice faciat disciplinam in publico, & si non se emendauerit, procedatur vlterius puniendo iuuenes, & laicos pœna probationis cæteri autem, quibus hæc pœna non competit reclusione in Conuentu puniantur conformiter ad qualitates personarum, consideran- Remediū cōtra libertatem nimiam scribēdi, et recipiēdi literas.

tes

tes quòd non sine magna causa boni regiminis Religionum lex sacra Canonica verbis vtitur grauibus, vt habetur 12. q. 1. c. non dicatis 5. Quicumq; autem in tantum progressus fuerit malum, vt occultè literas ab aliquo accipiat, si hoc vltro confitetur, parcatur illi, & oretur pro eo, si autem deprehenditur, atq; conuincitur secundum arbitrium presbyteri, vel præpositi grauius emendetur. Hæc ibi. Hoc autem non intelligimus de literis, quas ipsi subditi scribunt Superioribus, vel ipsi Superiores ad subditos, quas nullus alius legere poterit. Ad hæc, si conuictus fuerit aliquis falsas literas, falsaq; memorialia scripsisse seuerissimè puniatur, super quo, & si Discretorium totũ petierit de remedio prouideri propter abusus intollerabiles, nihilominus cũ toto hoc opportunius aliud remedium non videtur posse aptari nisi, quod Superiores seuerissimè castigent subditos transgressores tanquam communis quietis perturbatores.

De cõformitate seruãda in officio diuino.

Item ad seruandum, vt oportet conformitatem in offitio Diuino, & depellendum super hoc omnem diuersitatis abusum ordinatur, quòd quãtum ad offitia Religionis nostræ omnes vniformiter ea faciãt absq; respectũ ad varietatem impressionum, ita vt offitia Sanctorum nostræ Religionis fiãt eo modo, vt iacet in solitis Breuiarij promptuarijs cum suis octauis, & translationibus; Recitetur officium proprium de Nomine IESV reformatum à Sanctissimo Domino Nostro CLEMENTE VIII. & officium immaculatæ Conceptionis dicatur conformiter ad Decreta Pontificia nõ aliter, neq; alio modo. Et officium Sanctissimi Sacramenti dicendum Feriá v. infra annum dicatur iuxta formam, vt est in Breuiario cum Alleluia, sed preces dicantur Dominicales sicuti in officio semiduplici.

De remedio ad cõpescẽdum scandala q̃ oriũtur, ex delicto apost.

Item vt delicto apostasiæ, quod plurium scandalorum seminarium est, per quàm valido, & efficaci remedio occurramus: Superioribus omnibus præcipitur sub pœna priuationis suorũ officiorũ ipso facto incurrẽda, vt exequãtur omnixè, & inuiolabiliter exequi faciant Statuta Generalia super hoc edita. Et vt sine alio impedimento perficiatur sub eadẽ præcipitur pœna, quod cum aliquis Frater quamprimum appulerit Conuentum quempiam, absq; mora absoluatur ab excommunicatione in forma Canonica, sicuti in Religione est consuetum facta in publico Refectorio per manum Superioris disciplina, & remittatur per duos socios fratres de conuentu in Conuentum quousq; assignetur Superiori illius Conuentus vnde apostatauerit, ibiq; causa ipsius iudicialiter terminetur, modo eodem, qui in familia Vltramontana obseruatur, si verò Superiorum aliquis quemuis apostatam in suo retinuerit Conuentu, nec effecerit sicuti hic statutum est, Capitulum Generale totius Congregationis priuatum ipso facto officio suo, inhabilemq; imposterum esse declarat eundem.

De compescendo colorato recursu ve-

Item quantum ad recursus veniendi Romam seruetur inuiolabiliter Decretũ Sanctissimi Domini Nostri, quo præcipitur, vt nullus fratrum adeat Romã absq; licentia Suæ Sanctitatis, aut Illustrissimi Domini Cardinalis Prote-

ctoris,

ctoris, aut Superiorum Generalium. Et ad obuiandum inquietorum, & obstrepentium astutiæ diabolicæ, qui nouæ legi nouam adinuenere malitiā, ita vt sub colore indigentiæ absolutionis à pœnitentiaria Apostolica, petūt, & obtinent licentiam veniendi Romam, ordinatur vt frater, qui tale indigere prætendit absolutione hoc ipsum imponat suo Confessario, qui secreto, vt decet, sacramentali per literas Procuratorem Ordinis, vel Curiæ Commissarium certiorem faciat, qui absolutionem, vel dispensationem vt solet, impetrabunt perficiendam in partibus. niendi Romam.

Item ordinatur, quod nullus inferior Generalibus superioribus valeat incorporare quempiam fratrem in aliena Prouincia, nisi conformiter ad ea, quæ in statutis Generalibus sunt ordinata, sed neq; ad hunc effectum incorporādi sufficiat auctoritas, quæ Visitatoribus datur quamuis in forma data sit amplissima, & cum potestatis plenitudine. Modificatio ad īcorporandos Fratres in alienā Prouinciam.

Item circa modum ædificandi processus iudiciales seruentur omnino generales Constitutiones quibus superaddimus, quod transacto semestri processus omnes comburantur, duabus tamen adhibitis conditionibus. Prima, quod semestre incipere intelligatur post conclusam, & terminatam causam, pœnæq; inflictæ exequutionem per sententiam definitiuam, seu Decretum, & hoc pacto perpetuum in illa causa silentium imponatur. Secunda. Quod duæ fiant copiæ sententiæ autēticatæ quarum vna ponatur in Registro Prouinciæ, & in eiusdem Archiuio conseruetur, Altera verò sit penes Ministrum Prouincialem. De modo edificandi pceffus iudiciales.

Item declaratur, quod officium Custodis perdurat à Capitulo in quo fuerit electus vsq; ad aliud Capitulum in quo alius Custos eligetur, quod quidem hoc videlicet modo intelligendum esse decernimus, quod semper in Capitulo, quando eliguntur Diffinitores eligatur Custos, inter quos & ipse Custos computetur tanquam Diffinitor, primumq; locum teneat, cuius officium terminetur, quando & officium terminatur Diffinitorum. De officiī custodis duratione.

Ordinatur insuper, quod circa præcedentia in omnibus & per omnia seruetur dispositio, vt habetur in Constitutionibus Vallisoletanis.

Item quoniam abusus equitandi in nostrum ordinem non sine secularium scādalo & proborum Religiosorum lamentis plurimum inoleuit. Pręcipitur, vt nullus Prouincialis Minister possit cuicūq; fratri impartiri licentiā equitandi, nisi prius Guardiani, & maioris partis Discretorum sui Conuentus testimonium scriptum, & autenticum habeatur de illius fratris vera necessitate. At verò si prædictus Minister absens fuerit à Conuentu Guardianus loci cum consensu omnium Discretorum nemine discrepante eandem licentiam præstare poterit, quorum omnium cōsciētias in hoc oneramus, & si aliter prædicta licentia fuerit concessa, Minister Prouincialis in Capitulo sequenti careat voce actiua, & passiua in Discretorio, & Diffinitorio, Guardianus verò ipso facto per semestre sit à suo officio suspensus. His verò qui sine prædicta licentia ausus fuerit equitare Guardianus Conuentus Quomodo concededa sit licentia ad equitādū, & quādo sit negāda.

subitò

subitò iniungat illi vt faciat disciplinam. Nullus præterea dum iter peragitur bursarium secum deferat sub priuatione actuum legitimorum, quod si vrgente necessitate iter peragi non valeat, sine subsidio pecuniarum nullus frater possit bursario vti, nisi cum illis conditionibus quæ sunt ad equitandum necessariæ.

*Ne ministri insumant maiorē āni partem in Cōuentu meliori.*

Item ad tollendum abusum Ministrorum eorum, qui maiorem temporis partem sui Ministeriatus insumunt residentes in vno prouinciæ Conuentu, reliquum verò paucorum spatium dierum visitationi aliorum locorum attribuentes, vnde oritur, vt defectus omnes ignorent, quibus possint, vt deberēt opportuno remedio obuiare, præcipimus per obedientiam vt debitum suū probè in hoc expleant officij sui tempus totum secundum locorum exigentiam proportionaliter distribuendum.

*De constituēdo Archiuio in qualibet Prouincia.*

Item præcipimus vt in vnaquaq; Prouincia habeatur Archiuium in eo Conuentu in quo commodius esse debere videbitur Diffinitorio Prouinciæ: In quo reponantur omnes scripturæ spectantes tām Prouinciæ in communi, quàm processus, visitationes, & sententiæ particularium fratrum. Quarum scripturarum fiat Inuentarium distinctum, & per ipsum Inuentarium Ministro Prouinciali, qui pro tempore eligitur consignentur, qui clauem teneat apud se, curamq; diligenter adhibeat, vt de eo clauem assignans suo successori possit reddere rationem.

*Quod non instituatur Sacrista nisi sacerdos*

Item renouantes id, quod alias toties est ordinatum, præcipimus, quod nullus fratrū instituatur Sacrista nisi fuerit Sacerdos. Quod si Minister, vel Guardianus aliter fieri permittat sit ipso facto suo priuatus offitio, concedimus tamen (necessitate exigente) quod sacristæ Principali aliquis frater laicus possit in adiutorium assignari.

*Ne Fratres in Ecclesia alloquātur mulieres sine licētia.*

Item prohibemus ne aliquis frater vadat in Ecclesiam ad alloquendum mulieres sine speciali licentia Guardiani, aut præsidentis Conuentus; sub pœna faciendi disciplinam in publico Refectorio, & mox sit exiliatus ab eodem Conuentu.

*Quisq; distinctā habeat cellā.*

Item ordinamus, quod duo fratres in vna, & eadem cella habitare non possint sed vnusquisq; separatè suam habeat cellam.

*De non introducēdo seculares ī cellas.*

Item prohibetur strictissimè ne aliquis fratrum cuiuscūq; gradus sit, & ætatis in cellam suam introducere audeat adolescentem secularem sine expressa licentia Guardiani, vel eius locumtenentis, & qui contrafecerit de Conuentu illo confusibiliter eijciatur.

*De statuēdis portinariis.*

Item ordinamus vt in Conuentibus principalioribus, & magnis duo statuātur hostiarij, in cęteris verò sufficiat vnus, qui quidem morentur in loco portæ propinquo, vt commodius fieri poterit, quodq; hostium teneatur cōtinuè clausum, vt cum pulsatū fuerit à secularibus ipsi hostiarij præsto sint, petentes quid velint, & si aliquem fratrem alloqui voluerint vocetur, habita prius licentia Guardiani. Nec permittant seculares agredi vltra primū claustrum vbi erit alloquendum cum eisdem secularibus, Guardiani verò,

qui

qui in hoc seruando fuerint negligentes priuentur eorum officijs à suis Prouincialibus.

Item præcipiant Ministri omnibus Guardianis, quod in suis Conuentibus duas aut tres mansiones teneant paratas, & commodas ad suscipiendum secundū sanctam Charitatem fratres itinerátes, & hospites. Guardiani verò, qui in hoc seruando fuerint negligentes (ij præsertim de quibus ab hospitibus semel atq; iterum fuerit remurmuratum) à suo guardianatus officio per Ministrū Prouincialem deponantur. De tenédis paratis mā sionibus p itinerátib. & hosp.

Item districtè præcipitur Guardianis, vt faciant obseruare silentium sicuti in Cō stitutionibus Generalibus ordinatur, sed specialius sub obedientia præcipitur ne aliquis frater cellam alterius ad colloquendum ingrediatur quando signo campanæ fuerit indictum silentium. De seruando silentio téporibus suis.

Item ad remedium opportunum adhibendum aduersus abusum deferēdi camisias formatas, ferendiq; calceamenta, ita vt in nullo detrahatur Charitati, quę veris necessitatibus debetur; Præcipimus cuilibet Guardiano sub pœna priuationis officij, quod si frater aliquis reperitur habere necessitatem rerum prædictarum, habita medici fide autentica, eis prouidere teneatur eo modo, quo de vestimentis tenetur prouidere, cum hac attamen conditione, vt de tali fratre certiorem faciat Ministrum, Minister verò eum qui cum tali licentia vtitur camisia adnotet in eorum numero, qui communem vitam seruare non possunt, vt liquido constet conformiter ad statuta, quod non possint eligi in officium alicuius prælaturæ. De non deferēdis camisiis, & similibus.

Item ordinatur vt inuigilent Guardiani, quod à suis subditis Ieiunium non frágatur, & subministrent fratribus omnia ad sufficientiam conformiter ad generalia statuta animaduertentes, quod in diebus ieiuniorum nihil coquatur in coquina ad collationem in sero faciendam nisi solum pro fratribus aduenis, & hospitibus, qui eodem die aduentauerint, & necessitatem habuerint comedendi. De nō frangendo ieiunio.

Item vt in electionibus Capitularibus iustitiæ distributiuæ, vt decet, oculus habeatur apertus. Præcipimus Commissarijs, qui Capitulis erunt præsidentes, quod obnixè procurent, vt in Ministros, Custodes, & Diffinitores illi eligátur, qui fuerint digniores, excludendo eos præsertim, qui fuerint capita partium, & dissensionum, & personæ, quæ passionibus, odij, inimicitiarum, vel amoris indebiti publicè cognoscuntur affectæ. Insuper præsentetur Diffinitorio papirus, seu chartula in qua omnium nomina, qui voce passiua potiuntur pro Guardianis, cæterisq; officialibus, nullusq; Superiorum proponat, aut nominet aliquem fratrem particulariter: sed omnes illi, qui sunt in papiro habeantur pro nominatis, & propositis, è quibus digniores eligantur proportionaliter ad locorum necessitatem, excludétes eos omnes, qui pœna graui fuerint mulctati, atq; infames. Eosq; qui fauorem attulerint seculariū pro officio obtinendo, omnesq; litigatores, & irrequietos, eos quoq; qui communem non valent ducere vitam. De seruanda in eligédis officialibus distributiua iustitia.

De edicenda culpa in capitulo qualibet sexta feria.

